Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2357
Quelle:
Copyright:

ſtri Hainrici de firmaria (l. Frimaria ſeu Vrimaria) *ord. S. Aug.* Initium: *Audi iſrael precepta domini et ea in corde tuo quaſi in libro ſcribe* &c. Vide, quae de hoc *Praeceptorio* ſive Commentario in Decalogum notavimus ad *Cod.* CCCCXV.

III. *fol.* 110. p. 2. absque inſcriptione Sermo de Paſſione Domini in illud: *Reſpice in faciem Chriſti tui* &c. Incipit: *In uerbis propoſitis ſpiritus ſanctus inuitat quamlibet animam deuotam* &c. Putem eſſe ejusdem Autoris.

IV. *fol.* 114. p. 2. *Tractatus*, ut e calce praeoccupo, *Senece de quatuor virtutibus ſiue de formula honeſte vite.* Initium: *Quatuor virtutum ſpecies multorum ſapientum ſententijs diffinite ſunt* &c. Eſt *Martini* Ep. *Braccarenſis*, ut dictum ad *Codd.* CXCIII. aliosque.

V. *fol.* 117. *Collacio*, ut rurſus e calce, *in forma facta Jaurini in ſancta ſynodo A. D. M° CCCC^mo. XXVIII°. dominica prima poſt octauas corporis chriſti per fratrem Jobannem de Prucka ſolo nomine lectorem ord. f. Heremitarum ſ. auguſtini.* In illud: *Reſiſtite fortes in fide. I. Pet. c. 5.* Initium: *Ethereus ille diuinorum contemplator ex raptu lympidiſſimo ſanctarum ſcripturarum exarator* &c. Finis Oratoris, ut ipſe ait, eſt: *ut noſtre mentes roborentur firmiter ſine obſtaculi interſtructione, noſtre vires acuantur celeriter in hoſtium deiectione, noſtre voluntates regulentur conformiter a dei bonitate* &c. De Epiſcopo *ſperandum* dicit, *ymo omnino preſumendum*, eum omnes boni Praeſulis partes implere. De vitiis Gentium haec legas: *Francigene ymitantur ſuperſticionem vanitatis et vane glorie. Anglici efferuntur capitis tumiditate et pompa elacionis et ſuperbie. Ytalici et gallici ſectantur auariciam et vicium indicibile. Vngari variantur in ſtabilitate mentis et perfidie. Alamanni debuchantur immoderata luxuria et guloſitate.* Nihil de hoc Viro meminit *Oſſingerus* in *Bibl. Ord.* nec de Synodo *Jaurinenſi* ſub *Clemente* Ep. qui ab a. 1419. ad a. 1438. ſedit, aut *Prayus* in *Hierarch. Hung.* aut *Laur. Karolyi* in *Speculo Jaurin. Eccl.*

VI. *fol.* 123. Sermo alter de Paſſione Domini, in illud: *Foderunt manus meas* &c. *Quia iſta ſacra die paſſio chriſti eſt cuilibet fideli deuotiſſime meditanda* &c.

VII. *fol.* 137. *Sermo de aſſumpcione virginis glorioſe factus wyenne per magiſtrum Jobannem de Recz ord. herem. ſancti auguſtini. anno 1471.* in illud: *Miſit de excelſo et aſſumpſit me* &c. Initium: *Verba propoſita quamuis ſint et fuerint eximij prophetarum ipſius ſcilicet dauid* &c. Sermo prolixus eſt et Praeambulo *de predicatoris verbi diuini diſpoſitione* inſtructus. Elogium Oratoris, qui a. 1402. *Viennae* mortuus et in tumulo *Thomae de Argentina* et *Gregorii de Arimino* doctorum Sodalium locatus fuit, texit *Oſſingerus* in *Bibl. Ord.* p. 740. unde liquet annum in titulo prave